



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacra-||mento Evcharistiae,|| contra Oecolampadium,  
opusculum:||**

**Clicthove, Josse**

**Coloniae, 1527**

**VD16 C 4208**

Sacra[m] Chri[sti] carne[m] indigne ma[n]ducatam, ani[m]ae n[ost]rae  
no[n] ingredi substantiam, neq[ue] in eam traduci, sed copiosis gratiarum  
donis eandem locupletare, & spiritualem reddere. XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30220**

DE SACRAMENTO

¶ Sacrum Christi carnem digne manduca-  
tam, animæ nostræ nō ingredi substantiam,  
neq; in eam traduci: sed copiosis gratiæ do-  
nis eandem locupletare, & spiritualem red-  
dere.

Cap. XIII

**V**icesima aduersarij obiectio. Puerile  
& ieptum est opinari: q; in animam  
nostram ingrediatur caro. Quō enim  
anima, capax est carnis: quæ non est  
corporea, nec locum præbet corpo-  
ri? Caro autem: non est nisi in loco. Insuper si omne  
quod ex carne est, caro est: si caro Christi, mandu-  
catiōis carnalis mō animam pascit: animam ergo  
carneam facit, & iam non perficit eam sed infirmi-  
tatem reddit, cum animæ expediat ut spiritualis e-  
uadat ac diuina: quod assequitur unione uerbi po-  
tissimum. Est igitur cibus animæ mysticus: cor-  
pus Christi pro nobis immolatum, & uerbū eius  
quod pollicetur remissionē peccatorū, & sanguis  
eius: confirmatio noui testamenti. Neq; scdm ue-  
ram carnis substantiam: corpus dñicum a nobis in  
eucharistia sumitur: Hæc Oecolamp. ¶ Respōsio  
Videtur aduersarius in hac obiectiōcula multum  
per similes esse Nicodemo: principi Iudæorū. q; cum  
audisset a dño nos oportere nasci denuo, atq; renas-  
ci ex aqua & spiritu sancto: stupida mente & car-  
nali sensu illud comprehendens, interrogauit. quō  
posset hō nasci cum sit senex, & nunquid in uentrē  
matris posset iterato introire & renasci. Qm̄ q; de  
spirituali dicta fuerant regeneratione: crasso inge-  
nio, de corporali tantū & carnali accipi debere na-  
tiuitate, putauit. Haud aliter Oecolampad, quoniā

Ioan. 3

2

Ioan. 3

audiuit ex euang. Ioannis, ueram Christi carnē secundum substantiam, cibum esse animæ: protinus in eam incidit opinionem, nequaquā id fieri posse: nisi animam nostram ingrediatur Christi caro secundum suā substantiam, inferaturque illi re ipsa: quē admodū cibus illi quod nutritur, quinimo nisi traducatur ipsa Christi caro in substantiam animæ nostræ: illicque coalescat & fiat intima. Verū hæc omnino, carnalis est intelligentia, mētisque prorsus crassæ & supinæ: non attendentis cōditionem qualitatem & modū huius supcœlestis cibi. qui etsi corporaliter. i. secundū ueritatem substantiamque ueram corporis Christi sumatur ab anima: non tamen manducationis carnalis more (ut putat obiectans) subit animam: sed modo penitus spirituali, quoniam replet eam gratia & donis suorū charismatum. Et ita non ipsa Christi caro transmutatur in animam: sed potius contra, anima in ipsam transit alimēti sumpti naturam secundū qualitates spirituales, & fit quodam mō Christiformis. Perinde atque si ferrū igni inieceris, quod fiat ignitum & feruore igneo candens: non ipse ignis transformatur in ferrū, sed e diuerso ferrū ipsum induit qualitates ignis, ardorem, candorem, luciditatem, & cæteras eius conditiones. Est. n. caro Christi in eucharistia digne sumpta: ut ignis rapidus & effereuens. Anima uero eam rite sumens: est ut ferrum igni excandescens, & quod ab igne mutuatur illius proprietates eiusque speciem præfert. ¶ Proinde libenter id aduersario tribuimus: quod animam nostram non ingreditur Christi caro secundum substantiā, tanquam suum receptaculum, in quo contineatur tanquam locatum in suo loco. Illud enim nequaquam est cōsequens; ad ueram corporis CHRISTI in eu-

Non carnē Christi animā, sed cōtra animam in eā spiritualiter mutari.

## DE SACRAMENTO

Carnē ch̄ri  
nō reddere  
aiam sumē  
tis eā, car-  
nalem.

Ioan. 5

charistia manducationem. Sed uirtus ipsius uiuifi-  
cæ carnis & diuinitati unitæ: mētem ipsam digne  
sumentis subit & penetrat mō quodam spirituali,  
& eam sanctificat. Attamen inficiamur, q̄ eadem  
sacra caro reddat animam manducantis carneam  
aut carnalem. siue id secundum substantiam intel-  
lexeris, siue secundum proprietates carnis, & cō-  
cupiscentias. Non. n. caro Christi traducitur in ani-  
mæ substantiam: ut ex ipsa sumpta carne tanquā  
parte substantifica aut integrali, componatur ani-  
mæ nostræ natura. Absona; n. nimis, & obtusi ani-  
mi: esset huiusmodi cruda intelligētia. Neq; etiam  
manducata Christi caro, ingerit animæ nostræ cu-  
piditates ac desideria carnis: quemadmodū cibus  
corporalis & delicatus abunde sumptus. quinimo  
maxime eam auocat & abducit a concupiscentiis  
& uitijs carnalibus: redditq; ipsam magnopē spi-  
ritualem. Quoniā. n. ipsa Christi caro summæ est  
puritatis & munditiæ, hanc uim suam transfundit  
in animam, atq; purificat eam a cōtagijs & spurci-  
tijs carnis, mira efficaciam. ¶ Neq; uero id cōsequēs  
est ad ueram carnis Christi manducationem: q̄ a-  
nimam sumentis ipsam reddat carneam aut carna-  
lem, aut uno aut altero mō iam supra dicto. Quo-  
niam ea propositio euangelica, quod natum est ex  
carne, caro est: intelligitur ad literam de genera-  
tione secundum carnem. & (si ita extendere lubet  
illius sensum) de nutritione naturali ex carne, mō  
quodam corporali & cōmuni. q̄ ipsa nutritio: par-  
ticulari etiam generationi sit coniuncta, ut norunt  
physici. Quod enim ex carne, iuxta naturæ legem  
gignitur, caro est: & quod ex carne, modo natura-  
li nutritur, etiam caro est. Atqui in manducatione  
sancta corporis Christi; neq; generatio est ex car-

ne, neq; etiã nutritio naturalis. quare ex ea propo-  
 sitione nihil conficitur: quod obuiet sacramentali  
 corporis dominici manducationi. Quocirca nõ est  
 admittendũ, quod corpus Christi pro nobis imo-  
 latũ: dũtaxat sit mysticus cibus, ad sensum Oeco-  
 lapadij. sed ingenue cõfitendũ: q̃ ipsum in eucharis-  
 tia sumptũ etiam est uerus animæ cibus, secundũ  
 illud domini uerbũ in euãgelio. Caro mea, uere est  
 cibus. Adijciendũ est insup: q̃ præter uerbũ Chri-  
 sti quod pollicetur remissionem peccatorũ, & testa-  
 tur sanguinẽ ipsius esse confirmationem noui te-  
 stamenti: aliud adhuc exposcitur ad salutem. s. mã  
 ducatio corporis eius in ueritate: secundum uerbũ  
 ipsius, id fieri præcipiẽtis. ¶ Vicesima prima ob-  
 iectio. Beatus Ambrosius in epistola sexagesima  
 secunda testatur: uerbo dei & sapientia palci ani-  
 mam nostram. Et idem super psalmo, beati im-  
 maculati, plane perhibet fide satiari hominem in-  
 ternum: atq; ita ipso Christo. Quid igitur opus est  
 nobis ipsa Christi carne, quæ subeat animam no-  
 stram: cum præter eam: cõueniẽtes suæ nature ha-  
 beat anima rationalis cibos spirituales. Rursum  
 Origenes super Matthæum dicit, quod panis ille  
 quem dat nobis deus: est uerbum Christi, & hic  
 panis est solum mysticus. Idem quoque super Le-  
 uiticum ait, quod non solum in ueteri sed etiam in  
 nouo testamento: est litera q̃ occidit. Si enim secun-  
 dum literam quis sequatur hoc. nisi manducaue-  
 ritis carnẽ filij hominis & biberitis eius sanguinẽ  
 nõ habebitis uitam in uobis. occidet hæc litera. In  
 sup idẽ Origenes cõtra Celsum astruit: q̃ cibus p-  
 orationẽ sumptus reddit corpus factius. Quod &  
 beatus Paulus cõfirmat dicens, q̃ illud quod in ali-  
 mentum corporis cum gratiã: actione sumitur.

Ioan. 6

4  
Ambrosi.

Origenes.

2. corin. 3.

1. timo. 4:

Q 5

## DE SACRAMENTO.

sanctificatur p̄ uerbū dei & orationē. Quare cibus  
corporalis ita sanctificatus: etiam hominem sumen-  
tē sanctificat. Quid igitur opus est uera Christi car-  
ne in eucharistia: cuius sumptiōe sanctificemur? cū  
præter eā: tot habeamus ciborū aīæ & sanctifica-  
tionum gr̄a. Hæc Oecolampadius. ¶ Responſio

Ambrosi.

Varios esse cibos  
aīæ spiri-  
tuales: nō  
unicum.

Origenes.

Recte quidē dicit Ambrosius, uerbo dei & sapien-  
tia pasci animā humanam: & alio in loco, fide eam  
dem satiari. Verū in neutro eorū locorū: excluden-  
di particulam adijcit suis dictis. Neq; enim dicit,  
solo dei uerbo ac sapientia pasci animam: neq; so-  
la fide eam satiari. Quare nō negat Ambrosius il-  
lis uerbis, aliū superesse cibū potiorē & digniorē:  
quo anima pascatur. Vnde cū corpus ipsum ho-  
minis mortale & quotidie tendens interitū, diuer-  
sa habeat alimentorū genera quibus enutriatur: pa-  
nem, uinum, carnes, pisces, fruges terræ, & reli-  
qua id genus: quid prohibet animam nostram im-  
mortalem & occasus nesciam, diuersa etiam sorti-  
ri genera nutrimentoꝝ suæ conuenientia naturæ?  
ut uerbum dei, sapientiam, doctrinam, fidem: &  
cætera consimilia. Inter quæ, unum sit alimentem ip-  
sius: cæteris longe excellentius, & in supremo si-  
tum culmine ciborū spiritualiū: scilicet corpus Christi.  
Consimiliter probe dicit Origenes, panem illum  
quem dat nobis Christus: esse uerbum Christi.  
Sed & hic non adijcit excludendā particulam: quæ  
significet, solum uerbum & sermonem Christi, esse  
se panem nobis a deo datum. Quoniam si id dice-  
ret: plane aduersaretur scripturæ, Ioannis sexto ca-  
pitæ alium panem qui de cælo nobis datus est, assi-  
gnanti. Itaq; cū illo pane mystico nobis a deo da-  
to quem profert Origenes, scilicet uerbo dei: est &  
alius panis uerus qui de cælo descendit & dat uitā

mundo uera, s. Christi caro in eucharistia. ¶ Recipiendum itidem fatemur & illud Origenis dictū: q̄ in nouo testamento etiam sit litera occidens. Vt si ad nudū literæ corticē accipiatur illud quod in euangelica lectione dicitur de eruendo oculo, nos scandalizante: & de præcidenda manu aut pede nobis scandalū ingerente, de eunuchis itidē se castrantibus propter regnum dei, & multa id genus talia Et siqs eadē uerba in præsentī obiectione adducta de manducatione carnis filij hominis, acciperet de manducatione corporis dñi sub forma uisibili, p̄ dilaniationē carnis eius in particulas & frustra, more ciborū communiū (quēadmodū intellexerunt discipuli Christi, q̄ scandalizati sunt in eo uerbo. & abierunt retro) hic profecto sequeretur literā occidentē. Siqs uero eadē uerba dñi acceperit de uera quidē manducatione carnis eius secundū substantiā corporalē uere præsentis in eucharistia: nō tñ sub forma propria & uisibili carnis, sed sub speciebus panis facienda: quemadmodum tradidit eam dominus noster discipulis suis quando primum instituit hoc sacratissimum mysteriū: is non sequitur literam occidentem, sed spiritum uiuificantem. Et hunc posteriorem eorum uerborum sensum amplectitur ecclesia catholica: & omnes sacri doctores, locum illum euangelij exponētes. ¶ Demum approbandū est & illud Origenis dictum, in præsentī obiectione adductum: cibum scilicet corporalem per orationem benedictum, & cum gratiarū actione sumptū, quodam modo sanctificare hominem. per orationē quoq; , ieiunium, elemosynam, & cetera bonorum operū officia: sanctificari eum qui talia exercet. Sed nūquid Origenes illic astruit, eo solo, mō utputa per cibi

I. corin. 3.

Math. 18.

Math. 19

Ioan. 6.

7 Origenes.

Sumptiōe eucharistia homi-  
ficari.

## DESACRAMENTO.

corporalis oratione sanctificati sumptionem, sanctificari hominem: & omnem alium sanctificationis modum excludit. Nequaquam, quoniam potius subinsinuat longe potiorē superesse modum sanctificationis: per sumptionem cibi alterius generis. Nam si corporalis alimonia per orationem sumpta, sanctificat hominem: longe ualentiore iure panis sanctus uitæ æternæ, panis ille uiuificus & supercælestis, benedictione sacerdotali & mystica prece consecratus: totum hominem sanctificat, quod sanctum sanctorum in se contineat. Et cum multa sint uitiorum genera quæ animam inquinare possunt, & a sanctimonialia in contaminationē abducere: nimirum & multa debuerunt a sum. medico ordinari salutaria antidota & medicamenta contra hasce noxias animæ pestes, uariarumque sanctificationum genera. Inter quæ, summum tenet fastigium & apicem religiosa & deuota eucharistiæ sumptio: per quam & corpus & anima hominis eminentissime sanctificatur quod in ea sumitur totius sanctificationis author & indultor: dominus noster Iesus Christus.

Præter sumptionem corporis Christi spiritualē, necessariā adhuc esse sumptionē eiusdem sacramentalē: tempore congruo secundum ecclesiæ decretum faciendam. Cap. XIII.

Cyrillus.

**V**icesima secunda aduersarij obiectione. Cyrillus in suis commentarijs super Ioannem prohibet Christum esse panem mysticum & duodecim apostolos esse duodecim panes propositionis, figuratiue & secundum sensum spirituale. Non ergo ita uocandus est ipse Christus, panis: ut dicatur eius corpus uere in eucharistia subsistere, sed solum secundum quandam